

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE
ATROCISSIMO
SEQVIORIS SEXUS FLAGELLO
SIVE
PASSIONE
H Y S T E R I C A,
QVAM
SUMMO NUMINE PRÆSIDE,
MAGNIFICO UNIVERSITATIS RECTORE
REVERENDISSIMO ET PERILLUSTRI DOMINO,
DOMINO
DN. JO. JOACHIMO HAHN,

EPISCOPO METELLOPOLITANO.

Eminentissimi Archi-Episcopi & Principis Electoris Moguntini Per Thuringiam, Hassiam & Eichsfeldiam, in Pontificibus Vicario Generali, ejusdemque Archi-Episcopal Curiæ Pro-Vicario Generali, SS. Theologiz & Juris Ultriusque Doctore, Protonotario Apostolico, Comite Palatino, Insignium Ecclesiarum Collegatarum ad Gradus B. M. V. & ad S. Joannem Moguntiaz respective Scholastico, Canonico Capitulari, & reliq.

*EX DECRETO ET CONSENSU GRATIOSISSIMÆ
FACULTATIS MEDICÆ*

IN ALMA ET PERANTIQUA HIERANA

PRO LICENTIA

*SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVI-
LEGIA RITE AC LEGITIME CAPESSENDI,*

DIE X. DECEMBR. ANNI MDCCXXI.

IN AUDITORIO MAJORI COLLEG. MAJOR. H. C.


I. diss. A *PURÉICO ERUDITORUM EXAMINI SISTET*

2. 18 **A**NDREAS ELIAS Büchner/
Erfurtensis.


J. 152(18)

ERFORDIAE, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

622



DEO,
PATRIÆ
ET
PROXIMO AFFLICTO
SACRA SIT
LEVIS HÆC OPELLA.



I. N. J.

PROÆMIUM.



Ortalem hominum gregem post tri-
stem primorum parentum lapsum
varijs calamitatum vorticibus im-
mersum esse, nemo vel tenui saltet
ratione præditus negabit; Sequorem
vero in hoc *sexum*, præ *mascu:no*, ex
æterno quodam fati ordine, majori ac graviori malo-
rum sarcinæ subje&tum esse, vel Sole meridiano cla-
rius est, neque ullis unquam argumentis pro confir-
matione ulteriori opus habet. Si modo vagos ocu-
lorum orbes ad speciales fœminarum ægritudines di-
rigimus, heu! quantam ibi non offendimus turbam,
quæ tam multipli sub scheme, tam variis dirisque
insultibus imbelle hoc agnèn excruciant, ut numerus

A 2

illa-

illarum comprehendendi haud queat, cum in nulla status
 sui conditione miseris fœmellas ab omni morborum
 rabie liberas invenire liceat. Aspice quæso *intactas*
virgines & fugitivo tantum ac properanti oculo illas
 contemplari dignare, certe illico, absque ullo etiam
 labore deprehendes execrandam illam tyrannidem,
 quam *menstruorum* nunc *deficiens* plane, nunc plus so-
 lito *audior*, nunc *colore* aut *consistentia*, nunc aliter quo-
 que immutatus *fluxus*, in ipsas agit! *Maritatas* si con-
 sideras mulieres, non minoribus, sed gravioribus ma-
 gis & pluribus morborum turbis illas oneratas offen-
 des, ut cum annis quoque malorum numerum cre-
 visse jurares. Dum enim illæ gravem gerunt
 uterum, nunc *fastidio* gratorum alias ciborum, nunc
 plenaria nauseabundi *ventriculi eversione* & copiosis
vomitionibus, nunc etiam turpi insolitarum rerum *de-
 siderio* & sexcentis aliis haud levioris indolis molestiis
 defatigantur, & demum, si robustior nunc factus em-
 bryo, aut *solito motu* suam indicat præsentiam, aut, te-
 nebrarum carceris sui pertæsus, exquisitâ temporis
 periodo tristem mortalium lucem quærerit, tanto *atro-
 cissimorum dolorum* igne anguntur, ut sæpius quoque
 miseræ morti se submittere cogantur. Quare etiam
 Hippocraticum istud effatum, *fœminas morbum omnem
 bis pati*, non minus eruditum, quam veritati & expe-
 rientiæ apprime consonum, prædicare possum, cum
 ex antecedentibus facile nunc liqueat, fœmininum ge-
 nus, præter illas quoque ægritudines, quas cum po-
 tiori sexu communes habet, innumeris adhuc aliis ca-
 lamitatibus subiectum esse, quæ, dira cruciatuum sæ-
 vitia,

vitia, reliquos virilem non nisi chorum affigentes
morbos, facile superant.

Has inter vero palinam sibi jure meritoque præripe-
re potest PASSIO HYSTERICA tanquam verum SE-
QUO RIS SEXUS FLAGELLUM, quippe quæ pro-
pter concursum aliorum gravissimorum pathematum,
non modo miserrimis ægrotantibus valde dolorosa
evadit, sed etiam Medicis, expertis licet, haud raro
negotium facessere solet. Hanc igitur ob causam con-
siderationem & evolutionem famosi hujus affectus
loco speciminis inauguralis mihi elegi, studiique mei
nervos in hac tractatione experiri constitui, Galeni
præcipue monito incitatus, qui *Lib. VI. de Loc. affect.*
cap. 5. dicit, *passionem hysterica unum quidem nomen*
esse, varia tamen & innumera accidentia sub se compre-
hendere; ubi verum horum symptomatum genium
eruere, illaque omnia sub peregrina etiam larva ap-
parentia ad genuinam & unicam originem suam, se-
cundum dictum & consensum omnium circumstan-
tiarum, reducere allaborabo.

Deum igitur T. O. M. supplex humilisque pre-
cor, ut gratia ac sapientia sua ex alto mihi benedice-
re velit, & leves hosce conatus ad majorem Nomi-
nis sui gloriam, proximi salutem, propriumque me-
um emolumentum dirigere paterne dignetur.

SECTIO I.

THEORETICAM HUJUS AFFECTUS
TRACTATIONEM CONTINET.

CAPUT I.

Historiam medicam Passionis hystericae tradit.

§. I.

Perniciosissimi hujus affectus exquisitiorem dum meditor evolutionem, statim in ipso illius limine hoc præmonere placet, quod, secundum morem alias consuetum, scrupulosa & critica applicationum hujus affectus derivatio hoc loco non sit expetenda, ne nodum in scirpo querere videar, si circa planam satisque claram hanc nominis notionem lubens adhuc scrupulos conquirerem. Quare illud tantum leviter delibasse facile sufficerit, quod fatalis hic morbus quoad Etymologiam natales suos Græcis debeat, quibus communiter *πνιξ* audit, ab adjuncto nimirum urgentiori & primario symptomate, quod est *πνιγεῖν*, *strangulare*, *suffocare*, & parte pro principaliter affecta plurimum & communiter habita, quæ *viscera*, *uterus*, dicitur, ex quo etiam Latini postea suam defunderunt consuetam denominationem, ut *Suffocationem* vel *Passionem hysterica* hunc fœmininæ sanitatis hostem appellarent, mutuato prius, vel potius latinitate donato græcorum verbo *ὑστέρη*, cuius in honorem quoque fœminæ hoc affectu decubentes *Hysterice* & medicamenta illi opposita *Anti-Hysterica* appellata sunt; Neque etiam Germani longius ab hoc fonte recedunt, dum suo idiomate hanc ægritudinem das Aufsteigen der Mutter, die Mutter-Beschwerung, &c. appellant.

§. II.

§. II.

Non sine ratione autem SEQUIORIS SEXUS FLAGELLUM hunc affectum appellare placuit, quia vel rudi Medicinæ tyroni notum esse credimus, quod ipse ille morbus plurimum, imo fere semper, illas præprimis excruciet fœmellas, quæ propter luxuriosam dietam, vita inordinatum regimen, animi mollitatem ac præcipitantiam, imo interdum quoque sordidem, sive impurarum & lascivarum cogitationum aut actuum frequentiam, inter alias maxime conspicuæ sunt, & propterea quoque, sæpius recurrente diro hoc affectu, præ reliquis honestioribus & castioribus sui generis subjectis exactam incontinentis sui animi notam gerunt; Et licet etiam interdum quasdam melioris famæ fœmellas huic affectui subjectas offendamus, quarum vita integritas aliam, præter jam nominatas, causam querere nobis suadet, facili tamen negotio cognoscere poterimus, quod etiamsi in omnibus mulieribus appetitus luxuria, mentis lascivia, aliæve non minus vita perandæ consuetudines absint, rarissime tamen vel plane nunquam vita peranda ad *animi commotiones* proclivitas ab imbelli hoc sext exulet, ita ut Libycum leonem facilius à prædâ, quam fœminam à vesano *affectuum* turbine arceres, quæ cum salutarem alias functionum vitalium ordinum facile gravissime alterare, imo plane planeque invertere valeat, hinc minime mirandum est, si tali quoque FLAGELLO immorigera hæc subiecta, ultrici quasi pœna quodammodo plectantur & aliqualis non nisi vindicta ab illis sumatur.

§. III.

Ulteriorem nunc prolixitatem circa *nominalem* hujus affectus notionem seponendo, ad *realia* magisque utilia trans-eundum erit, & ne summa imis permisceamus aut recepto excurramus ordine, ante omnia accuratiorem hujus affectus historiam exponere nobis placet, ut hâc prælucente ad rationalem quoque illius Therapiam proprius accedere queamus. In genere vero notandum erit, quod teneræ hujusmodi patientes utcunque duas præprimis regiones pro vero ac genuino querelarum suarum sede agnoscant & ventilent, *precordia* nimurum

mirum ; cum annexo præprimis *sinistro latere, & abdominis pe-*
ripheriam, quæ ipsa etiam sola sufficere possent pro refuta-
tione decantati jamjam antiquorum somnii, qui solum tā-
tum uterum, neglecto reliquarum causarum suffragio, pro
unico ac vero hujus mali fonte atque sede declarare non e-
rūbuerunt, cum præter obsoletum illud *ascensus uteri*, vel
venenatorum ex utero exsurgentium *vaporum* phantasma, nul-
lam sane rationem videam, cujus intuitu illa præcordiorum
& hypochondriorum pathemata à sola mechanica uteri stru-
ctura in solidum & sincere deduci queant.

§. IV.

Illi igitur cruciatus, qui *præcordiorum* imprimis regionem
infestare solent, consistunt in diuturna sub initium *nausea*,
aut *vago* & scipiis *absurdo appetitu*, cum crebrioribus *pandicu-*
tationibus & *oscitationibus*, quas postea vehementissimæ *anxie-*
tates & *molestiæ* *cardialgitæ* cum doloribus *tensivis*, *angustanti-*
bus & *prementibus*, sub costis spuriis & præcipue in latere si-
nistro sanguientibus, excipiunt, qui quoque in quibusdam sub-
jectis ita augmentantur, ut *ardentes*, *pungentes*, *interlancinan-*
tes, imo denique *convulsivi* evadant. Hisce strenue conti-
nuantibus succedunt interdum *anxii* itidem *ructus* cum mole-
sto *præcordiorum* *murmure* & *angustatione*, quam erumpentes isti
ructus sensibiliter quidem, sed per breve tantum temporis
spatium, levant, siquidem illico dolorosa *ventriculi* & *intesti-*
norum inflatio, cum conjuncta vehementissima *singultuosa* &
quasi suffocativa succussione levem hanc remissionem compen-
fare solet, quibus tandem omnibus *contumaces* adhuc & *præfe-*
roces vomendi conatus, succedunt, vacui interdum, nonnunquam
etiam indigestas ciborum reliquias vel ipsum quoque sangu-
inem actuali vomitu extundentes. Si vero sub jejunio pa-
tientes invadit hic affectus, tunc frequens quoque superve-
nit *præcordiorum* *mollities* aut facilis in *Lipothymias*, modo ci-
tius, modo tardius transientes, propensio. Singula autem hæc
pathemata tanquam *essentialia* symptomata comitatur, extraordi-
naria & mirum in modum aucta *cordis palpitatio*, quæ in qui-
busdam etiam subjectis tam evidenti gradu excedit, ut vel
fortiori

fortiori quodam tremulo motu, vel superius jam allegatis crebrioribus singultuosis succussationibus, vulgo Herzstöße appellatis, in adstantium quoque oculos & aures incurrat. Quædam ex hisce fœminis etiam repentinæ cordis compressiones experuntur, quasi duabus manib[us] fortiter illud constringatur, de quibus & ipsæ fatentur, es sey als wenn ihnen eine Hand nach dem Herzen griffe. Insuper quoque pulsus sub hoc paroxysmo dolorum s[ecundu]m s[ecundu]m imminuitur, quandoque etiam ad satis notabile tempus in totum aboletur, ita ut tales ægræ vice haud simplici inter mortuos non tantum relatæ, sed & mole laxoque sepulchri obrutæ fuerint, suffragante incorrupto plurimum fide dignorum Autorum testimonio. *) Interdum observatur sinistrum hypochondrium, inter multiplices dolores & reliquorum symptomatum continuationes, sensibiliter inflari, quod ipsum pathema deinde sterile judicium vulgi imaginatio cuidam uteri ascensui adscribere & ridicula hac formula enarrare solet, die Mutter sey ihnen in die Seite herauf getreten oder gefahren; Aliis è contra dextrum quoque hypochondrium pulsatilibus doloribus & crebrioribus spasmis, intercurrentibus simul volaticis capit[is] ardoribus, infestatur.

S. V.

Circa umbilici & medii ventris regionem offerunt sese gravia spastica pathemata, ut ipse etiam umbilicus profundius intra abdomen retrahi videatur, quibuscum violentæ illæ abdominis compressiones & coarctationes conjunguntur, non aliter ac si intorto arctius fune hæc regio ab utroque latere fortissime constringatur, als ob der Unter-Leib mit einem Strick zusammen gezogen werde, ut etiam illud ipsum abdomen non bene extendere queant, sed incurvatam sedendo figuram representare cogantur, daß sic ganz zusammen gebogen sitzen müssen. Circa interiorem autem ventrem & versus ingvina tensivum, gravativum ac exquisite spasticum dolorem persentiscunt, quasi

B

Inte.

*) Vid. Petri Foresti Observat. Med. Lib. X. Observ. 79. in Scholio, Joh. Matthæi Cent. differ:med. question. V. Camerari Memorabil. Cent. VII. p. 42. Amati Lusitani Curat. medic. Cent. IV, Curat. 23. & alii,

intestina omnia egressum per inferiora molirentur , cui infus-
per tam pertinax alvi adstrictio saepius accedit , ut vix clysteri-
bus aut purgantibus aliis , fortius licet stimulantibus , (nisi suc-
cessive iterum iterumque repeatantur,) obediatur . Interim status
mirum in modum tumultuantur , & cursitando , succussando
ac volutando totum intestinorum tractum excruciant , sen-
sumque oberrantis in abdomen globuli efficiunt , de quo fœ-
mellæ dicunt , es malze ihnen wie eine Kugel im Leibe herum ;
interdum etiam statariæ sunt hæ flatulentiaz , & specialissimæ ali-
cui regioni pertinaciter inharentes molestam in illa causan-
tur inflationem , & si denique contingat , ut contumax illa
alvi adstrictio paulisper tantum relaxetur , tunc tanto statim
cum strepitu prorumpunt , ut explosi etiam scloperti fragorem
æmulentur . Concurrit interdum quoque gravatus pectinis do-
lor , ut magnum quasi pondus circa illius regionem delitescere
fentiat ægra , & circa consuetum purgationis menstruæ tem-
pas , (si illa retenta vel suppressa adhuc sit,) omnia hæc pa-
themata , cum conjunctis simul torsionibus & spasticis atque in-
terlancinantibus doloribus circa inguina & reliqua uteri confi-
nia , recrudeescere , non sine insigni molestia percipiatur .

§. VI.

Sic ergo atrox hic fœmininæ sanitatis impugnator præ-
cipue intra præcordiorum & abdominis regionem (prout ex-
jam dicto liquet ,) scenam suam impune satis ludit , ibique
non unicum , sed varias & plures simul partes sæva quadam
necessitatis lege , vel per essentiam suam excruciat , quas in-
ter , si unicum tantum Venæ Postæ Systema nominabo , facile
intelliges , etiam Diaphragma , Hepar , Lienem , Mesenterium ,
Ventriculum , Intestinorum tractum , ipsumque uterum , sub
hoc titulo comprehensa esse , quæ omnes & singulæ partes
primarium hujus hostis impulsu sustinere coguntur ; & uti-
nam cum hisce contentus maneret suamque intra illarum li-
mites inclusam relinqueret sævitiam ! Ast non sine horrore
trementis jam animi comperimus , quod & reliquæ humani
corporis partes non intactæ ab hoc sanitatis debellatore relin-
quantur , sed insuper etiam pectus cum capite , aliisque inter-
dum

dum extremitatibus , accidentaliter quodammodo , in consensu rapiantur , similique , si non duriori , tormentorum genere discrumentur . Petius enim , prout superius etiam passim notavimus , non modo crebrioribus dolorisficiis succussionibus , cordis palpitationibus & compressionibus in genere angitur , sed & continuis gravissimisque opulationibus in summas adducitur angustias , ut tandem maxima respirationis difficultas & faucium dolorifica strangulatio , suffocationis metum sœpius inferens , oritur , afflictæque hoc modo fœmellæ haud simplici vice adstantibus hancce calamitatem tali communicent suspirio , manesse ihnen doch Lufst machen , weil ihnen der Hals , gleich als mit einem Strick zugeschnüret werde . Cum diro hoc symptomate sœpius etiam conjungitur difficultas deglutiendi absque ullo etiam tonsillarum vitio , ita ut cibos & medicamenta ci- tta insignem molestiam assumere haud queant . Præterea quoque caput , ob perniciosa cum pectori viciniam , in consensu simul rapitur & veris quasi paroxysmis & insultibus dolorum , hemicranicorum magis , quam totum caput occupantium , excruciat , qui invasionis non solum impetu sed etiam durationis successu re vera immanes & intolerabiles sunt , ut sœpius etiam graviores simul mentis obnubilationes & vacillationes , cum vertiginosa quadam temulantia , visusque ac reliquorum sensuum obscuratione inde oriantur .

S. VII.

Hæc itaque sunt formalia , quibus communiter dirus hic affectus absolvitur ; Ne vero imperfectam relinquamus historiam , etiam materialia illius , sive subjectorum considerationem , appendere hic placet . Sequiori tantum sexui communem esse hunc affectum , notum omnino etiam ex jam dictis erit , parum vero à virorum sic dicta passione hypochondriaca illum differre , paulo inferius docebitur . Subjecta vero præ aliis huic affectui exposita , vix unquam alia , quam insigniter plethorica sunt , quæ vel sedentario nimis , vel etiam otioso , aut plane lascivo vita generi addicta sunt , largiter insimul appetitui suo indulgent , sicciores præprimis dapes sibi elegunt , & depravato quodam more parum bibere , hisque o-

mnibus spissiorem sanguini suo crassim inducere solent; Quare etiam solum Melancholicum prædominans temperamentum hoc malum præcipue & quasi ex essentia sua incurrit; Sanguineum vero non nisi ex accidentibus, nimirum abusu rerum Non-naturalium, inordinato corporis sui regimine & diætæ imprimis vitiis illi obnoxium deprehendes. Æras ad producendum hoc malum apta, est proœctior juvenilis, ab anno nimirum circiter 20. ad 40. & 50. Imo consuetus cessationis fluxus menstrui terminus, proprium quasi tempus est, quo hic affectus nova sua sumit incrementa, majorique ac fere insatiabili tyrannide in langida fœminarum viscera tævit, cum ē contra puerilis ætas, ob firmorem animi tranquillitatem aliorumque vitiorum defectum à diris hisce cruciatibus penitus fere libera deprehendatur, ex quo etiam solempne illud misteriarum effatum est, quod juniores ad minimum virgines hysterico malo vix, aut certe rarius subjiciantur. Tandem hoc quoque ingrato haud transmittendum est silentio, quod illæ etiam fœmellæ, quæ a cliviori præ aliis gaudent animo, & in moralibus illius commotionibus valde sensibiles, præcipue vero ad iracundiam, naufragium, mensum & lochiorum æræ, libidinosas concupiscentias, &c. admodum faciles sunt, crebris ribus quoque & vehementioribus hujus mali insultibus exponantur, quam illæ, quæ continentioris firmiorisque animi sunt.

CAPUT II.

Pathologiam & causalem nexum hujus mali exponit.

§. I.

Satis prolixam quidem in præcedenti hoc Capite exposuimus Historiam passionis hystericae, omnibus tamen ume-ris absolutam eam esse affirmare non audemus, cum tanta affli-

affligendi varietas tantaque concomitantium pathematum syndrome circa atrocissimum hunc morbum occurrit, ut vel rarissime eadem sub larva diversa aggrediatur subjecta, sed semper alia in aliis, vel leviora, vel graviora, sese manifestent symptomata, quæ omnia tamen & singula, cum ad uocum tantum finem collineant, ne levissimam quidem parvunt confusionem, & tantum abest, quin aetiologyam hujus affectus tractationem magis adhuc facilitent; Quare triam haud inepte fecisse videbimus, quando nimis diffusam horum cruciatum historiam laconica etiam brevitate exponere studemus, sequentem exinde definitionem hujus malorum formando: PASSIO HYSTERICA est complexus aque concursus plurium partematum spastorum, congestorum, oppleriorum, aliquaque, rorum sere corpus & proprimis. Systema Vena Portæ cum annexis illi visceribus, infestantium, & ad sanguinis lava superflui imminutionem, quam spissioris promotionem, collenantium.

S. II.

Ex hac autem definitione facile cognosci poterit, varia, eaque satis atrocia non modo symptomata multifarie in hoc affectu combinari & conjungi, ut rarissime, vel plane nunquam unius tantum actionis lascæ symptomata, extra aliorum nexus comprehendere liceat; sed & exiguum saltem & non nisi gradualem inter hysteriam & hypochondriacam passionem intercedere differentiam: Ambo enim hi affectus non modo ratione locorum & partium in quibus suam ludunt scenam, sed & ratione causarum generaliorum apprimè conveniunt, dum utique illorum suam præprimis tyrannidem circa præcordia, hypochondria, omniaque cum Vena Portæ connexa viscera, imo non raro etiam circa remotas pectoris & capitis partes manifestare solet, ut nullam plane, nisi circa affligendi gradum & causas five intentiones speciales, offendamus discrepantiam, ubi nimur præsens noster affectus fœmininum sexum, in se jam satis sensibilem, sœpius non modo ac faciliter, sed gravioribus adhuc magisque acerbioribus dolorum insultibus excruciat, quam virile genus à suo sic dicto malo hypochondriaco

driaco affligitur, quod plurimum *hemorrhoidales* tantum urget excretiones, cum fœmellarum affectus mensum salutare negotium præprimis respiciat illiusque inviolabilem successum intendat.

§. III.

Tradita nunc affectus nostri definitione & differentia ad ulteriorem *pathologicam* illius disquisitionem progredi placet, quo verus etiam causandi & fiendi ordo in hoc malo patefiet. Offendimus vero in ipso hoc affectu Naturam omnem suam ~~enem~~ principalius contra sanguinis abundantiam & spissitudinem dirigere, seu vitiæ illius tam quantitatis quam qualitatis correctionem inexhaustis quasi viribus urgere. Cum igitur puerilis in hoc sexu ætas tot tantisque sanguinis vitiis, propter sinceras & actuales illius evacuationes per nares, quæ hac imprimis periodo à provida Natura instituuntur, nec non propter mobile suum vitæ genus, haud exposita fit, abgescens vero juvenilis & consistentior ætas, sedentariâ & otiosa sua vita, non modo proportionatam sanguinis quantitatem in corpore suo plus justo augeat, conservas vero illius ventilationes sœpius impedit & successuæ simul spissitudini illius ansam præbeat; Hinc est, quod juvenulas tantum & annosiores simul fœmellas, quæ vel ex lauta plenaque dixta, vel ex suppressis hemorrhagiis spontaneis, menstruis nimis purgationibus, aliisque accidentalibus causis plethoricæ factæ sunt, otiosoque suo vitæ genere spissiorem sanguini crastin induxerunt, tormentis suis excruciet hic affectus; Et quoniam nullibi magis, quam circa Systema Venæ Portæ sanguinis, præprimis spissioris progressus retardatur, quod ipsum non modo structura & usus, sed & proportio famosæ hujus venæ ad debitum motum & progressum sanguinis aperte tatis demonstrare potest; Hinc non immerito in hac Vena Portæ & visceribus illi annexis palmariam hujus mali sedem inquirendam esse duco, minime vero à sola uteri substantia, & textura, vel venenata quadam stimulante & intra corpus matricis delitescente materia, malum hoc oriri existimo. Confirmatur hoc ipsum assertum eo magis per considerationem alle.

allegatæ jam jam specialioris structuræ hujus Venæ Portæ, dum plurimi sane, si non omnes, è recentioribus Anatomi-
cis uno quasi ore defectum valvularum in hac ipsa vena con-
firmant, quod incommodum deinde incredibili fere subtili-
tate ramificationum ejusdem majorem in modum augetur,
ut in nulla absolute alia parte corporis præsentius obstaculum
atque impedimentum conservetæ sanguinis circulationi afferri
posse existimem, quam in hac veoa ejusque ramificationibus,
quin imo visceribus cum illa connexis & sanguinem partim
ad illam transmittentibus, partim ab illa recipientibus, prout
latius hoc deduxit celeberrimus Stahlius in Dissertationibus de
Vena Portæ porta malorum & de Hypochondriaco-Hysterico malo.

§. IV.

Difficiliorem itaque hunc sanguinis spissescens ac super-
flu progressum, si provida sentit Natura, illico consueto suo
instrumento, auctiori nimirum motu tonico, non modo illius
proressionem, sed & debitam, haetenus per suppressas men-
struas purgationes impeditam, ventilationem intendit; Inde e-
veniunt spastice illæ tractions & reliqua dolorum genera su-
perius jam recensita, ipsam non modo Venam Portæ, sed &
reliqua cum ea conjuncta viscera infestantia, & cum propter
hanc liberæ sanguinis circulationis retardationem necessario
stagnationes & infarctus illius in proximas contingant par-
tes, hinc perspectu facillimum erit, omnes illos ventriculi, he-
patis, intestinorum atque lienis cruciatus, oppletiones & ad
sensum satis notabiles inflationes inde dependere; Neque
etiam aliud fontem, præter hunc, agnoscent molestæ & in-
signes illæ *cardialgia*, *singultus*, *succussions*, & crebriores *cor-*
dis palpitationes, aliaque in historica enarratione tradita similia
pathemata. Præterea quoque haud levem periculi cladem
Oeconomiaæ vitali important *vitia appetitus*, vel prægressa, vel
nunc etiam succendentia, siquidem exinde non modo *conu-*
maces illi vomendi conatus, partim indigestæ in ventriculo ma-
teriæ, partim quoque sinceri sanguinis excretionem urgentes
& intendentes, sed & dolorosæ ventriculi & intestinalium di-
stensio-

stenches & inflationes, ob coortentes intus vapores, exordia sua sumunt perniciosa, cumque *pertinax* illa alvi *adstrictio*, quæ communiter hunc affectum comitatur, omnem huic flatulentia egressum denegat, ipse vero peristalticus intestinorum motus, ob augmentum toni, irregulari simul gressu continuet; inde flatulentis isti vapores quaquaversum, per totum intestinorum canalem vagari coguntur, ex quo deinde molestus ille sensus, qui oberrantem in abdomen globulum amulatur, exsurgere solet.

§. V.

Porro etiam per prægressa talia diætae vitia, turbatumque sanguinis liberum successum insimul necessariae se- & excretiones in salutari suo ordine turbantur, ut inde *alvus* non modo siccior sed plane *adstrictus*, *diuresis* vero *inconstantior* & *titis* secretiones inæqualiores evadant, cuimque ex hujus ultimæ defectu necessarium quoddam instrumentum ad peragendam concoctionem perdat Natura; hinc copiosiori saliva effusione illud detrimentum reparare intendit, quod crebriori justoque copiosior illius intra fauces collectio indigitare facile potest, quæ saliva propterea etiam magis deglutienda, quam excernenda esset. Quo vero provida Natura in gravii hoc negotio præfixum sibi finem eo citius atque facilius fortiat, solet non modo intra partis præcipue affectæ viciniam, sed & è longinquæ consecutionem illius intendere. Quare & *pectus* & *caput*, imo interdum etiam *extremitates* in consensum trahit, similique fere ratione & iisdem motuum gradibus promotionem, resolutionem & excretionem molesti sibi sanguinis ex illis urget atque intendit, quod ipsum negotium, cum non nisi pari motus tonici augmentatione perfici queat, placet etiam Naturæ illud ipsum hisce in locis applicare; Exinde dependent postea illæ *stricturae*, *compressiones* & *suffocative strangulations*, nec non dolores illi *bemicranici*, quemadmodum ex impeditione sanguinis profluxu per intimiora cerebri, graviores illæ *vertiginosæ perturbationes* sensuumque obscurazioni ortum saum trahere solent, quæ interdum tantæ in principium corporis vitale, sunt activitatis, ut dulci quasi somno

somno devinetum illud detineant, quem cum plenaria simul motuum remissio omnino comitetur, evenit inde, ut subiecta talia, sub atrociori præprimis morbi schemate, quasi emortua jaceant nullumque plane vitalitatis signum offerant, imo vice haud simplici mortuorum numero & societati adscribantur & assidentur; ex quo elucescit, minime improbadam esse quorundam opinionem, qui illarum fœmellarum corpora, quas atrox hic morbus morti tradidit ante elapsum XLVIII. horarum spatium tumulis inferre haud svalent, ne viventes adhuc infelici quadam commutatione cum mortuis confundantur.

§. VI.

Denique etiam iniquum haud fuerit intueri notabilem satisque evidenter illum consensum, quo *uterus* etiam à diuis hisce cruciatibus simul afficitur, ita ut ipsa hæc pars sola jamjam inter Veteres huic affectui suam largita sit denominationem, evidenti signo, quod, si non *primario*, saltem tamen *secundario* circa hujus morbi productionem illa ipsa in culpa sit, & citra certissime successuram confusionem è nexu causarum minime exulare posfit. *) Constat enim ex superioribus, primariam & proximam hujus mali causam in stagnatione partim, partim etiam in spissitudine sanguinis consistere, quæ vitia loco antecedentis cause non nisi plethoram agnoscere possunt. Constat quoque suppressas sanguinis, & præcipue menstruas atque hemorrhoidales ventilationes, nec non diætæ vitia, genus vitæ sedentarium, repentinæ corporis refrigerationes, graviores animi commotiones & sensibilitates, imo peculiarem & irregularem Venæ Portæ structuram, accidentium causarum numero jure meritoque accenseris: quid igitur mirum? si Natura instrumentalibus quoque causis, mo-

C tibus

*) Fuit bac sententia doctissimi cuiusdam Angli, nempe Highmori, qui Veterum, affectionem hunc à solo utero deducentium, opinionem refutaturus, in alterum lapsus est extremum, & uteri connexionem cum hoc malo penitus excludere, illudque ad soli mali hypochondriaci cancellos revocare voluit. Vid. ejusd. Liber de affectione hypochondriaca,

tibus nimirum spasticis, tensoriis & pressoriis hanc ipsam uteri regionem simul aggreditur, & ex ea stagnantis sanguinis pressionem & molestaz plethorae imminutionem per confertas alias vias urget, ipsamque hanc intentionem loco formalis cause in hoc affectu ponit. Demonstrat enim hoc ipsum assertum non modo à priori connexio illa satis evidens inter uterum & Venam Portæ, tanquam præcipuam hujus mali sedem, per vasa hemorrhoidalia succedens, quam doctissime jamjam demonstravit celeberrimus Stahlus in superius allegata Disser. de Vena Portæ Porta malorum, graviorque hujus affectus circa confuetæ menstruæ purgationis tempus exacerbatio, & facilis ex illarum turbatione origo; sed & à posteriori exoptata & gratissima illius remissio, mensibus ad justum suum typum & ordinem redactis. Tandem & animi pathemata peculiarem hic merentur considerationem, cum notum, quid? quod notissimum sit, illa quoque peculiari efficacia in provocando & exacerbando hoc malo gaudere. Comitantur enim illa ordinarie repentinâ quadam motuum animalium mutatione, cui deinde similis vitalium motuum susceptio & administratio respondet, quæ, præsente quadam vel quantitate, vel qualitate molesta materia intentionem illam patheticam in eam, tanquam domesticum aliquem somitem, pertinacius inclinare facit, quo ipso tandem Natura excretionem illius urgere, & ad hanc ipsam perficiendam extraordinarium motuum suorum augmentum suscipere cogitur, cum etiam experientia omnis dubii victrix aperte demonstret, illam v. g. intentionem, molestum & odiosum quicquam quacunque vi expellendi, quæ nobis iracundia audit, non æque alibi extraordinarias tonicas vel spasticas, hemorrhagicas, nephriticas, arthriticas &c. commotiones excitare, nisi status corporis plethoricus, calculosus aut cacochymicus adsit. Vid. Programma celeberrimi Stablii, de eo, quod pathetica mutationes motuum vitalium non sint tumultuarie. Libidinosas vero & voluptuosas cogitationes haud raro etiam mali hujus provocacionem facilitare posse, probat miranda hujus pathematis potestas in negotium mensium, imo in omnes generationi servi-

servientes partes, ex quo ordinati motus Naturæ confunduntur ac perturbantur, solita in movendo activitas hujus principii rationalis debilitatur, & denique huic non solum malo, sed & successu temporis, aliis longe gravioribus & atrocioribus, ingressus facilitatur.

§. VII.

Ad Prognosin quod attinet, si malum hoc in se & fibi relictum consideramus, tunc plus incommodi, quam periculi portendere videtur, quia proressionem tantum & ventilationem sanguinis intendit Natura, huncque finem leviori solum motuum augmento obtinere potest; Quare si suppressæ iterum proveniant menses simulque legitimè continentur, solvitur inde facile hoc malum, quemadmodum etiam junioræ fœmellæ, si citius ab hoc malo infestentur, etiam facilius annorum successu ab illo iterum liberantur, si modo diætam & vitæ genus mutent, cum in annosioribus è contra subjectis facilius in habitum degeneret & ægrius profligatur. Vomitus autem, si vacuus fuerit ac diuturnior, majorem quidem metum iassecuturi tandem cruenti vomitus incutit, ast facile etiam convenienti medicatione præcaveri adhuc poterit. Si vero salutarem Naturæ scopum per incongrua medicamenta, vel alio quocunque modo irritari contingat, tunc graviora etiam induuntur mala, nimirum scirrhose, tum hepatis, tum lienis, indurations, & ex his Iæterus, simplex in junioribus, niger vero in annosioribus subjectis, ob denegatam bilis se- & excretiæ, tumores ædematosi in pedibus vel bydropici etiam affectus, ob impeditam lymphæ depurationem, febres intermittentes, lente & hectice, propter oppletiones & obviscationes primarum viarum, totus arthriticorum affectuum chorus, vertiginosi, apoplectici, paralytici, imo denique convulsivi & suffocativi morbi, propter impeditiorem sanguinis progressum, stagnationes & oppletiones nobiliorum viscerum, donec inimica mortis tela miseræ hujusmodi vitæ reliquias præscindant, hancque malorum scenam unico & ultimo iectu claudant.

SECTIO II.

PRACTICAM HUJUS AFFECTUS CONSIDERATIONEM OFFERT.

CAPUT I.

Specialem illius Therapiam & Præservationem tradit.

S. I.

A Rctissimum utique nexus inter veram atque solidam Pathologiam, atque rationalem & efficacem Therapiam in foro Medico intercedere, nemo certe erit, qui negabit vel ignorabit, nisi qui stolidæ harum disciplinarum confusione sordidæque simul ac cœcæ Empirizæ nomen suum dare haud erubescit. Præsente enim justa certaque morborum *notitia*, quæ genuinas illorum species atque differentias simul complectitur, & succedente vera & indubia eorundem *etiologyæ*, quæ causam præcipue morbificam condigne evolvere docet, non potest non quin efficax etiam & salutaris evadat & formetur Therapia, & Medicus certissimo cum emolumento & quasi absolute hasce corporis humani affectiones tollere queat, ac denique si in Praxi perniciosus iste curiositatis æstus mitigetur, in Pathologia vero periculosa inter morbos confusio & obliteratio sedulo evitetur, tunc facile utilitas & intemerata simul veritas necessariæ inter has disciplinas connexionis omnium oculis se se subjiciet, nec suo jam tempore male locutum esse nostrum Ciceronem, Celsum, sequentibus nobis applaudenter verbis: Qui bene cognoscit, bene curat; qui male cognoscit, male curat, quilibet cognoscere poterit. Quare etiam utilissimum hoc consilium sequi, traditamque nostri

f.p.m. 4.

nostrī affectus *Theoriam* cum *Praxi* solide conjungere & connectere, nostri nunc officii esse ducimus, & cum in pathologico hujus morbi nexu duplē offendamus causam, quarum prima materiam illi subministrat, altera vero formam & modum (ut ita dicam) conciliat & addit; Hinc quoque duplē in methodo medendi finem nobis proponere vō' umus, quorum alter correctionem materiæ & quantitatē & qualitatē vitiatiæ, alter vero rationale motuum exacerbatorum & à consveto vigore aberrantium directorium respicere & observare debet.

§. II.

Priorem quod attinet indicationem, illa magis ad præservationem quam ad curationem hujus mali pertinet, cum in ea tantummodo quæstio de imminutione & dilutione sanguinis occurrat, quæ suam medelam magis & pressius è chirurgico & diaetico, quam è pharmaceutico fonte obtinent. Ad imminuendam enim nimiam sanguinis quantitatē confert primo loco *Venæsecio*, vix alibi, quam in pede, administranda, & quidem (si temporis ratio ferat) circa æquinoctia, aut ad minimum decrescente luna, vel circa instans menstruæ purgationis tempus instituenda, statisque periodis repetenda, ita ut qualibet vice ad minimum 3v. vel vj. è capaciori incisione emittantur, quo spissior plerumque sanguis sufficiēti quantitate evacuari possit. Facilitatur etiam hic scopos imminuendi sanguinem, applicatione *birudinum*, & quidem (si plus quam virginea hujus sexus pudicitia id permittat,) ad genitalia facta, si nimirum mensium præcedens suppressio in causa originis hujus mali fuerit, quæ hoc remedii genere optime & citissime tollitur. Sin vero afflictæ illud respuant fœmellæ, tunc ad alia magis pharmaceutica transeundum est medicamenta, iisque sub justa & rationali methodo adhibitis revocatio hujus sinceri sanguinis ventilationis procuretur. Tandem etiam naturali quadam ratione hæc ipsa superflui sanguinis imminutio, si non penitus absolvı, notabiliter tamen adjuvari potest, *laboriosiori* & *mobiliori* vita genere; hoc ipso enim sanguis, successive licet, tamen affatim in serum resolvi & sub hoc schemate postea quoque è corpore emitti potest.

C 3

§. III.

§. III.

Spissoris vero sanguinis attenuationem & correctionem optimè absolvit *dieteticum* conveniens regimen, & in illo præprioris duo illa efficacissima adminicula, nempe *motus* & *potus* sufficiens, quæ ipsa tamen diuturnitate magis & repetitione, quam repento ac simultaneo impetu suam demonstrant utilitatem. Commandantur quidem hunc in finem etiam variæ medicamenta simplicia, sub titulo *sanguinem incidentium* & *attenuantium*, v. g. *Radices Ari*, *Vincetox.* *Helen.* *Rub.* *tinet.* *Pimp.* *alb.* *Angel.* &c. *Herbæ Scord.* *Cent.* *min.* *Scolopendr.* *Fumar.* &c. nec non plenus *Θium digestorum chorus* una cum *Gummatibus* quibusdam, nimicum *Ammon.* *Galban.* *Sagap.* &c. Sed hæc omnia, quamvis de reliquo suâ nunquam destituenda sint laude, hoc tamen scopo ad efficaciam commendatae jam jam dixerat nequaquam accedunt, cum solistatum medicamentis imminutionem & resolutionem sanguinis tentare velle, illorum non nisi opus sit, qui Empiricis maxime credulitatibus sine omni fundamento & experimento, cœcorum in morem, indulgent, quicquid etiam Paracelsi asseclæ contra hoc assertum obganniant, superstitionis fabulosi sui Magistri traditionem de *Helleboro* & *Chamædri* illi opposentes; Ratio enim & experientia jam dudum contrarium imaginariæ hujus commendationis aperuerunt.

§. IV.

Altera vero indicatio, cum magis contra formam (si ita loqui liceat) hujus affectus directa sit, & motuum exacerbatorum præprimis mitigationem respiciat, ita etiam illius impetratio simul sub ipso paroxysmo tentari potest & debet, cui propterea medicamenta incidentia, *Θina* atque temperantia cum cinnabarinis remixta egregie fayent. Instar omnium vero est hoc scopo & specifice quasi operatur *pulvis ruber Stabianus*, alias, das rothe Flüß-Magen- und Stein-Pulver, quia egregia in mitigatione horum motuum efficacia gaudet, nec non ejusdem celeberrimi Viri *Pilulae balsamice*, quæ reliquis hujus generis medicamentis, præprimis in lochiorum & mensium pro-

promotione facile palmam præripiunt. In defectu vero hominum medicamentorum & si superius allegatis Olinis impetus cedere recusat, aut graviores anomalæ commotiones circa Venam Portæ occurrant, tunc Millefolium, vel Adianthum album, aut Cortex Chacarillæ sub forma Decoëti vel Essentiaz, interdum cum Δ tu C. C. moderate maritandæ in usum trahi possunt. Ad corrigendos vero motus alvum obstruentes multæ imprimis efficaciaz sunt Clysteres & quidem maxime emollientes & lenientes, cujusmodi sunt bene pingves ex Θ is Amygdal. dulc. Anethi. Chamom. Olivæ. recent. Sesamin. &c. adjecta, stimuli loco, pauca Θ is communis quantitate una cum Herbis & Seminibus ejusdem virtutis parata. His subjungi possunt Extraëta resolventia & abstergentia cum Gummatibus & moderatissimis Aloeticis conjuncta, atque sub Pilularum aut alia forma exhibita, quo loco Pilulæ ante citatæ balsamicæ Stahlianæ suam imprimis merentur laudem. Tandem etiam huc faciunt remedia diluentia v. g. Decoëta calida Thé & Coffée non admodum saturata, juscule dilutiiora &c. cum sufficiente corporis motu. Leniorem vero diuresin cum transpiratione naturali promovet omnium optime Essentia Alexipharmacæ Stabliana sub placido itidem corporis motu adhibenda. Hisce simplicioribus licet ac paucioribus remediiis facile atrocissimi hujus morbi insultus, quaquaversum etiam illi dirigantur, assistente gratia divina, moderari ac mitigari poterunt. Unicum saltem hoc adjicere adhuc placet, quod sub remissione paroxysmi tonus partium nimis distentarum adhuc roborari debeat & quidem \mathcal{A} libus, justo tamen tempore adhibitis, quo loco commendari meretur Crocus \mathcal{A} tis \mathcal{A} tus aperitivus Stahlii, cum ejusdem MP balsamicar. remixtus, vel in defectu ejus Crocus \mathcal{A} tis \mathcal{A} tatus & TRa \mathcal{A} tis aperitiva Ludovici, quibus denique optimo cum effectu TRa tonico-nervina supra laudati Stahlii subjungi potest. Circa præservationem, præter ea, quæ in §. præced. dicta sunt, nihil ulterius adjicere placet, quia reliqua ad proxime subsequens caput reservanda sunt.

S. V.

§. V.

Ultimo tandem loco cum *cautelis* quibusdam specialem
hujus affectus therapiam claudere & quasi munire placet,
cum nunquam fere magis, quam in decantato hoc morbo
illis opus sit, propter insignes quidem variorum medicamen-
torum deprædicationes, exigua vero illorum auxilia, imo gra-
viora interdum hinc inde emergentia pericula atque damna.
I. Ante sinceram itaque sanguinis imminutionem abstinentum
ab omnibus remediis impetuosioribus & calidioribus, quæ ma-
gis symptomata quam ipsam causam morbificam aggrediun-
tur. II. Ab evacuantibus quibusvis fortioribus, præsertim E-
meticis, quæ ultima non nisi sub primis hujus mali initis, ubi
conspicuum diætæ vitium in subjecto robusto & evemeto præ-
fens est, satis tamen moderate adhibita, locum inveniunt. III.
Cavendum est ab indifferenti & inordinata sanguinis subtra-
ctione & IV. à præmaturo usu reborantium, tonicorum &
glum. V. Ab usu remediorum calidorum, acriorum & volatili-
um, massam sanguinis excalefacientium. VI. In genere circa
curam hujus affectus exulent omnia opiata, narcotica & ca-
storina remedia indifferenter plerumque adhibita. VII. Ca-
vatur à negligentiori & magis inordinata Se- & Excretionum
necessiarum tractatione, quia illarum *άταξια* malum ple-
rumque augere solet & denique VIII. A nuda symptomatum
accidentalium cura. Reliqua, quæ de odoramentorum vario-
rum applicatione adhuc dicenda essent, cum ob peculiarem
quandam fœmellarum *ιδιονυκτιας* non sint universaliter acci-
pienda, ad peculiarem etiam cuiusvis rationalis Practici ex-
perientiam, magisque exercitatum judicium relegamus,
quemadmodum etiam specificam & in communi praxi vix
satis deprædicandam *carnis* & *intestinorum lupi* virtutem, su-
perstitioso non nisi plebi & anili simul experientiaz relinqui-
mus.

CAPUT

CAPUT II.

*Hygienem, sive methodum conservandi præ
hoc malo sanitatem fœmellarum ostendit.*

S. I.

Non sine ratione traditæ hujus affectus evolutioni tum theoreticæ, tum practicæ, peculiarem hanc tractationem de conservanda & à diro hoc morbo præservanda sequioris sexus sanitate annexere placuit, cum partim *dignitas*, partim quoque *necessitas* materiæ id à nobis exigeret. Artem enim medicam non modo in præsentium morborum curatione, sed & in imminentium præservatione & connexa simul sanitatis conservatione, studiosam & operosam esse, vel Sole meridiano clarus existit, hasque inter operationes ultimam merito principalissimam vocari, *) nemo forsitan negabit, cum circa nobilissimam vitæ humanæ partem, numerum *sanitatis* conservationem, strictius versetur. *Necessaria* præterea quoque est hæc ipsa tractatio, propter fragilem maxime corporis nostri Oeconomiam, quæ cum in se jam maxime in corruptionem proclivis sit, ita accuratiorem quoque ac præsentiorem possit medelam, quo sub rationali actionum vitalium directorio gravissima ægritudinum mala à mortalibus hisce arceantur corporibus, iisque longa tranquillæ senectæ tempora videre via ostendatur gratissima. Hæc cum in genere universam mortalium turmam concernant, ita in specie illa de inferiori sexu dicta esse hic volumus, dum ea quæ sub se comprehendemus.

D

prehendemus.

*) Non placet insigni testimoniorum farragine ingratam reddere hanc tractationem, alias omnes fere Auctores circa hoc assertum consentientes adducere possemus. Sufficerit unicum Galeni testimonium qui Lib I. de sanitate tuenda expressis verbis eam Medicinae parzem, que præsentem tuetur corporis Galenudinem, reliquas tanta nobilitate antecedere afferit, quanta sanitas morbum dignitate antecedit. Confer. etiam ea, quæ Martinus Rulandus in Tr. de Lue Ungarica cap. V. doctissime de hac materia scripsit.

prehendit subiecta præ reliquis maxime accurato & congruo
moderamine pro conservantia firma atque constanti sanitati
indigent, quia eximia sane prærogativa ad subeundas sani-
tatis periclitationes in eis occurrit, ut levissima etiam causa
ad procreandos periculosissimos morbos in illis sc̄pius apta eva-
dat, cujus rei insigne utiq; testimonium præbet descripta haet-
enus *passio hysterica*, quam propterea *atrocissimum sequioris sexus*
flagellum appellare rati sumus, qvia ex rationali Historia Medica
patet, hoc ipsum malum non nisi prægressa quædam vel *moralia*
vel *physica* vitia luxuriantis hujus sexus excipere suoque affigen-
digradu reliquos fœmellarum morbos perfacile antecedere. Hac
igitur consideratione inducti sumus ad instituendam accura-
tiorem indagationem illarum præcipue causarum, quæ atro-
cissimo huic morbo originem & incrementum suum præbere
valent, quo & præmuniendo floridam hujus sexus sanitatem,
dirosque tales insultus præcavendo, officio probi defungamus
Medici.

§. II.

Ante omnia igitur inter illas maxime causas, quæ san-
tatem fœmellarum turbare possunt, primum jure meritoque
locum sibi vendicat extraordinaria horum delicatorum sub-
jectorum *sensibilitas*, tum in *vitalibus*, tum quoque & maxime
in *moralibus* obvia. Animus enim præcipitem, mollem, in-
continentem, immorigerum, impatientem & levissimis simul
commotionibus obtemperantem, si quærere, imo si videre
velis, foeminas adi, mulieres aspice! Hic in compendio quasi
aut in speculo detur patæ post Iapsum Naturæ humanæ con-
ditionem contemplari Tibi dabatur, ut primam humani ge-
neris matrem debitam sanctissimo Numini obedientiam ab-
jicientem & relinqventem, dilectumq; maritum in eandem cri-
minum lacunam præcipitantem, suo præprimis sexui maximum
adduxisse damnum vel ex eo probari facilime posse. Im-
primis vero *terroris*, *iracundiae* & *mœroris* violentiaz maxime
expositum offendimus imbelle hoc agmen, in quibus facilime
ad perniciosos delabuntur excessus, ipsoque tali extremitate
vitalium suarum functionum ordinem graviter offendunt,

imo

imō plane planeque invertunt, ut mirum haud sit, si prome-
ritas extrema sua sensibilitate pœnas sensibilibus etiam do-
lorum cruciatibus proprio in corpore luere cogantur: Et qvam
plurimæ fœmellarum furentis animi turpitudine sœpius
pravis hisce affectibus et imprimis rabidae iracundiae ita adsve-
scant, ut qvoque elementi sui loco illâ utantur, eaque unice
delectentur testimonio triti inter vulgus proverbii: Zand ist ei-
ne Medicin der Weiber; Tamen exinde etiam sanitas succes-
tu temporis qvandam incurrit alterationem, si præprimis
cominoti pectoris æstum compescere minus valeant, aliaque
simul coincidunt pathemata, qvæ ad debilitandam non minus
sanitatem suum contribuunt talentum. Quin imo impossibi-
le fere est, affectum huncce, qui licet asfvetus etiam sit,
tamen in se satis truculentus est, non posse fragilem jam jam
istam Oeconomiam tandem turbare aut plane destruere, cum
ad naufragium usque notum sit, fœminas ad concipiendos in
majori gradu iracundiae æstus præ viris aptissimas esse;

Nam neque fulvus aper media tam favus in ira est

Fulmineo rapidos dum rotat ore canes:

Nec Lea, cum catulis lactentibus ubera præbet,

Nec brevis ignaro vipera læsa pede.

S. III.

Præterea qvoque haud leve sanitati detrimentum infert
Veneris præsertim *illicitæ* imperium; Hujus illecebras si teneræ
sequntur fœmellæ, facile in fœdissimos libidinosarum cogitati-
onum gurgites abripiuntur, quæ salutarem vitalium functio-
num ordinem gravius non modo turbare, sed plane qvoque
pervertere possunt, ut tandem lascivi animi pœnas in proprio
cogantur luere corpore, petulantia hæc subiecta. Ipsa itaque
hæc prava *vite* & *morum sensibilitas*, cum non modo in gene-
re fœmellarum sanitatem maxime offendat, sed & in specie
& specialissime ad præsentem nostrum affectum excitandum
multa, imo plurima conferat, ita maxime commendanda est
afflictis hujusmodi fœmellis debita illius moderatio, ut quan-
tum possibile est, à gravioribus animi commotionibus sibi
caveant, & hoc eo magis sub termino eruptionis vel plenarii
successus menstruæ suæ purgationis, cum per experientiam

jam constet, nil magis delicato huic mensium negotio dampnum inferre posse, quam graviores animi commotiones, præsertim ex terrore, mœtore aut iracundia ortæ. Insuper etiam à pravis abstineant *consuetudinibus*, præsertim in actibus moralibus, & cum maxima in excitanda fovendaque imaginatione polleant activitate, hinc abstineant ab omnibus operosis, immoderatis, sollicitis & præsertim lascivis ac libidinosis cogitationibus: Mentem enim si sanam conservant, certissime corporis sanitatem successuram esse credant.

§. IV.

Proinde quoque inconstans hic sexus levem itidem corporis sui curam gerit, & quidem maxime circa diætam, dum perniciosæ appetitus sui lasciviaz non modo facile indulgent, sed et eandem omni cura & anxietate fovent, et sic cibos crassiores, viscidiores, spisiores, frigidos, præcipue vero pinguiores communiter in majori, debitum vero potum in minori copia ingerendo, ac necessarium corporis motum vel ex prava consuetudine negligendo, vitamque communiter sedentariam cum abdominis extraordinaria simul compressione ligentius eligendo, alienas & turbulentas primarum viarum commotiones excitant, quæ successuris denique excretionum turbis exoptatissimam subministrant occasionem; & hinc est quod mollis hic sexus tam crebrioribus alvinarum & menstruarum excretionum ataxiis subjectus deprehendatur, quæ deinde prima quasi fundamenta pro truculento hoc affectu ponunt. Servent igitur istæ fæmellæ, quibus sanitatis suæ conservatio curæ cordique est, diætam præprimis tenuem, mollem, cibos eligant evpeptos & sufficienter aromatisatos, nimis vero pingvium vel ex butyro frumento, *) pistorum, assatorum & præprimis adhuc calidorum frequentem ac crebriorem usum cane & angve pejus fugiant, è contra motum ac potum sufficientem, huncque interdnm vinosum, non vero nimis duluosum, commendatos sibi habeant, ante omnia vero debi-

*) Hanc etiam ob causam non inepte Borellus in Observat. suis Medico-Physicis rarer. & quidem Centur III. Observ. 26. prægnantibus & hysterics fæmellis omnem butyri usum interdicit.

debitum menstruꝝ purgationis successum alvinarumque excretionum promotionem bono cum moderamine conservare studeant.

§. V.

Ulterius etiam hoc si non in omnibus, saltem in plurimis taxandum est fœmellis, quod circa aeris & frigoris regimen paulo negligentioris animi sint, dum vel liberaliori corporis denudatione, vel ad minimum leviori illius protectione ab impetuosis ac turbidis quibusvis aurꝝ mutationibus, ansam & occasionem præbent superficialibus humorum restrictionibus & repentinis secessionibus ad interiora, quæ salutarem alias transpirationem retinent, gravioribusque malis viam pandunt. Quare opus erit ut omni studio aeris inclemotoris communicationem cum corpore prohibeant, & si excursiones continuꝝ ipsis fortassis magis amicæ sint hypocauſto, eligant saltem ad illas serenam magis & (si fieri queat) calidiorem tempestatem, suꝝque semper mollitiei ac sensibilitatis recordentur. Ante omnia caveant à subitaneis atque extremis quibusvis mutationibus & alternationibus inter frigus & calorem, ne post nimias corporis commotiones & sanguinis expansiones sensibili statim frigori sese subjiciant, pectus vel pedes, pro liberiori aeris ambitu non ita confestim denudent, sed potius sub tranquilla animi & corporis quiete salutaris diapnoes successum per poros promoveant, donec graviores istæ exagitationes placide sint mitigataꝝ, omnesque actiones pristino ordini restitutaꝝ, alias facilius capitis & pectoris affectus, imo certius periculosas mensium anomalias incurrere poterunt. Præterea quoque hoc silentii peplo involvendum haud est, quod obsoletus, sed perniciosissimus ille mos, quo frigoris ambientis injuriam tempore præsertim hyberno cum cistulis illis, quæ candardibus repletæ sunt prunis, & communī nomine Feuer-Stübchen &c. dicuntur, temperare assolent, fœmellarum sanitati pessime consulat, cum ascendens iste pinguis ac teterimus vapor capitis

D 3

non

non solum atrocissimos dolores, sed & mensium turbas & ataxias inducere queat. Hinc melius & sanitati consultius esset, si sensibiles ejusmodi Veneres novissimi usus subligaculis & femoralibus subtus se munirent, quibus itidem externi aeris injuriaz egregie à corpore arceri possunt, testantibus id ipsum Matronis honestioribus castra cum maritis alias secutis, quæ illorum utilitatem vix satis deprehendere possunt.

§. VI.

Præsentiorum vero ac majorem utilitatem afflito huic sexui afferent *balnea*, maxime vero *pediluvia*, præsertim circa tempus recursionis mensium adhibita, quippe quæ haud exiguum præ aliis remediis opem in temperata & secura hujus fluxus promotione ferent. Denique etiam experientia rerum fidissima magistra sœpius demonstravit, quibusdam, præcipue junioribus sœmellis aut virginibus, frequentioribus alias mensium anomaliis expositis & exinde etiam atrocioribus hujus mali insultibus obnoxiiis, matrimonium interdum loco medicinæ & auxilii pro conservatione aut recuperatione sanitatis fuisse, illasq; firmiori posthac valetudine gavisas esse, testimonio obsoleti istius proverbii: Kranken Jungfern gesunde Weiber; quia vero suos etiam limites habuit hoc remedium, oremque speratam indifferenter ferre haud potuit, hinc præstat etiam in eo rationis concursum admittere, ne præmatura aut temeraria illius commendatione afflictionum, sanitatem magis debilitantium, numerum augeamus. Et hæc pro uberiori gravioris hujus mali enodatione & explicatione dicta sufficiant: Multa quidem adhuc supereesse fateor, quæ circa hanc materiam moneri adhuc possent; Ast ne Dissertatio hæc consuetas transgrediatur limites, alia forsitan occasione, si DEO ita visum fuerit, illa diffusiori stylo explicare allabo. Si interim quædam ex his sunt, quæ Tuum, B. L., mercantur affensem gratum acceptumque id mihi erit; si minus, tamen imperterritus ero, cum ne loarem omnibus placere sciam.

T A N T U M.



* * *

Vod dixi pridem, successus comprobat
omen,
Circumdant lætum debita serta caput.
Viderat exulti fortis Hygiea labores
Pectoris, exsolvi præmia digna jubet.
Gratulor acceptum decus: addat Numen honores
Sæpe novos. Flore, cresce, vigesce, vale.

Sic

absens officio suo satis erat
facturus

JOH. PAUL ADELUNG;
SS. Theol. Stud.



Rnat sacrata lauro formosus Apollo,
Qui Medica morbos arte levare sciunt:
Hinc & BUCHNERO, Medica qui clarus
in arte,
Musarum præses, laurea serta dedit.
Gratulor ex animo meritos virtutis honores,
Hi crescant aliis, candida vota fero:
Rideat, opto, tibi vultu fortuna fereno,
Et referat laudum limina lauta tibi.

Hæc gratulabundus adjecit

G. H. KOCH, Jur. St.

Arbor

Arbor stat nudata comis, decus omne recedit,
Sed tua, mi Fautor, tempora rite vigent.
Quis vitio vertet? Pietas, noctesque silentes
Infumptæ studiis hoc meruere diu.
Gratulor, ardentiæ precor tibi pectore: **C**rescant
Cum virtute simul lausque decusque tuum.

Sic Nobiliss. atque Doctiss. Dno.
DOCTORANDO amicâ & fin-
cerâ mente, applaudere voluit
debuitque

THÉODORUS ZEUNER, Med. Stud.
Holland. Boruss.



Coll. diss. A 152, misc. 18.